



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118537

§. 143. Conclave ob quorumdam Cardinalium absentiam dilatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](#)

Sæcul. XVI. commentarios in quasdam Ciceronis
A. C. 1549. epistolas.

§. CXLIII.

*Conclave ob quorundam Cardinalium
absentiam dilatum.*

*Thuan: hist.
l. 6. n. 4.*

*Duches: hist.
des Papes
p. 406.*

Cum Cardinales alias de more decima post Papæ obitum die sacra comitia celebrare deberent, nunc nonnisi vigesima octava Novembris die conclave ingredi poterant, id sollicitantibus Gallis Cardinalibus, qui sacrum Collegium importunis urgebant precibus, ut ceteros quoque suæ Nationis Purpuratos jamjam iter aggressos præstolarentur. Ceterum Pacecus Cardinalis, cum absque speciali Cæsaris mandato e Tridentina urbe excedere nollet, nonnisi quarta Decembris die advenerat, quem duodecima ejusdem Mensis die sequabantur Cardinales Bellaius, Vindocinensis, Castillionæus, & Guisianus, atque aliquot post diebus Ambasius, Lotharingius, & Borbonius illuc accesserant. Denique præter Madruccium Cardinalem, qui Mantuæ agebat, Tridenti erant Salviatus, Mantuanus (*), Cibo,

Augu-

(*) Typi errore irrepit Mantuanus, cum legendum esset, Joannes Maria Montanus, nisi

Augustianus, Auria, & Roboreus, qui Sæculi XVI.
omnes Cardinales summa celeritate A.C. 1549.
Romam advolabant, & Papæ exequiis
intererant. Itaque omnes hi Cardina-
les numero quadraginta novem concla-
ve ingressi in tres dividebantur factio-
nes, quarum prima erat Cæsarea, al-
tera Gallica, & tertia demum Farne-
siana, quæ Cardinales a defuncto Papa
creatos, & præcipue Farnesium Ponti-
fificis Nepotem complectebatur. Hæc
non solum numero celebrior erat,
sed etiam suffragantium merito, eo quod
Cardinales longa rerum experientia,
atque auctoritate ceteris insigniores Far-
nesio Cardinali adhærerent, imo ipse
met annis licet juvenis, prudentia ta-
men admodum perspicaci, miraque re-
rum gerendarum dexteritate ultra æta-
tis suæ vires, atque exspectationem u-
berrime prædictus erat: hinc illi, qui
bus sacri Collegii merita erant perpe-
cta, haud difficulter præfigiebant, quod
Farnesius, quamprimum Purpurati con-
clave ingressi essent, totum futuræ ele-
ctionis

nisi forte hoc nomine *Mantuanus* significetur
Hercules Gonzaga, qui vulgo Cardinalis *Mantua-*
nus dicebatur, atque etiam Romam vene-
rat, præter Montanum, quem Continuator
referre omisit.

Hist. Eccles. Tom. XL.

G

Sæcul. XVI. c^tionis negotium solus moderaturus
A.C. 1549. foret.

§. CXLIV.

Cardinales Conclave pro novi Pontificis electione ingressi.

Pallav. hist. Cardinales vigesima octava, vel jux-
l. 11 c. 6. n. 5. ta alios vigesima nona Novembris
Sleid. comm. die sacris comitiis initium fecere, ubi
l. 21. p. 774. Cardinales Farnesio adhærentes impe-
trabant, ut Camillus Ursinus Parmam
Octavio reddere juberetur, eoquod hac
de re summus Pontifex morti proximus
mandatum a Polæ Episcopo delatum
dedisset: Ast Camillus insuperhabit tam defuncti Papæ jussis, quam Cardi-
nalium literis constanter afferebat, quod
hanc urbem nomine Sedis Apostolicæ
retinere, illamque nonnisi ex futuri
Pontificis mandato tradere vellet. E-
quidem nonnulli ingratum eidem ex-
probabant animum, saniores tamen
illius fidem, ac constantiam deprædi-
cabant: juris enim æquitatem, ac pu-
blicæ tranquillitatis commodum ami-
corum favori præferendum ajebant, po-
tissimum eo nomine, quod illum eodem
tempore Ferdinandus Gonzaga vehe-
menter sollicitaret, ut oblatu triginta
aureorum millium pretio Parmam Cæ-
sari traderet: Cum vero Camillus Co-
lumna post Papæ obitum Pallianum,
alias